



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo**

**Heislinger, Anton**

**Monachii, 1745**

Casus XLVIII. De Sacerdote volente duas animas eodem sacrificio lucrari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40155**



## Casus XLVIII.

*De Sacerdote volente duas animas eodem Sacrificio lucrari.*

**L**ucius Sacerdos habens privilegium personale lucrandi animam, in quocunque demum Altari celebraverit, legit postmodum in Altari privilegiato, cum intentione duas eodem Sacrificio lucrandi defunctorum animas.

Quæritur: Utrum bene fenderit?

### Synopsis.

1. Si totus Missæ fructus pro anima defuncti est offerendus, duas liberare non poterit.
2. Etiam ratione solius Altaris privilegiati totus fructus est illi animæ applicandus.
3. Quod probatur à paritate à duobus granis benedictis desumpta.
4. Et ab immunitate recitandi

breviarium ob recitatum rosarium.

5. Privilegium istud personale est mera extensio Altaris privilegiati.
6. Idem probatur à paritate è rebus politicis desumpta.
7. Ex triplici fructu satisfactorio non potest unus applicari huic animæ, alter autem alii.
8. Sacrificium Missæ non est infiniti valoris in actu secundo.

### Resolvitur Quæstio.

**H**uic dubio facillimè satisficitur suppositis iis, quæ habentur in casu, quo examinamus, an sacrum, quo animam è purgatorio liberare intendimus, pro tali offerri debeat. Ita enim argumentor: ut Sacerdos lucretur animam, debet pro ista totum

Y y y



tum fructum satisfactorium offerre : ergo eodem sacro non potest duas animas liberare. Probat. conseq. si fructum Sacrificii applicet duabus, non applicat singulis totum fructum : uti patet.

- 2 Fortassis ad hoc argumentum dices : qui vult liberare animam ex sola virtute Altaris privilegiati, debet hoc facere : conc. si ex hac virtute, & simul ex privilegio personali vult liberare animam ; negatur : sed contra est, etiamsi Petrus habeat privilegium aliquod personale, ut tamen legens in Altari privilegiato liberet animam, necessarium planè est, ut ponat illas condiciones, quas Pontifex ad hoc requisiverat : sed Pontifex requisivit ad hoc, ut totus fructus satisfactorius applicetur illi animæ : ergo &c. Probat minor. Pontifex non dixit in sua Bulla, requiri à se hanc totalem applicationem respectu illorum, qui non gaudent privilegio personali, & contentum se esse, ut habentes privilegium personale partialem duntaxat fructum pro tali anima offerant : ergo vera est minor. 2. dō. Gaudens privilegiō per-

sonali lucratur talem animam vi Altaris privilegiati ex virtute Bullæ illius generalis, omnibus, etiam non habentibus privilegium personale, concessæ : ergo debet condiciones in hac Bulla expressas implere : sed inter alias est hæc, ut offeratur fructus totalis pro tali anima : ergo. Probat minor. verba communiter sunt ista : *Qui pro anima cujuscunque fidelium defunctorum ad præfatum Altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesie per modum suffragii Indulgentiam consequetur ; sed pro quo celebratur, pro illo offertur totus fructus Sacrificii : ergo &c.*

Hæc ipsa nostra assertio ulterius confirmari non invalidè potest hac instantiâ : sint mihi duo grana benedicta diversis Benedictionibus ; præterea quodlibet illorum habeat, quòd dicendo semel orationem Dominicam obtineatur Indulgentia unius anni ; si semel tantum recitavero rosarium, asserentibus Licisio Turriano, & P. Suarezio *disp. 52. sect. 10. n. 9.* non lucrabor duos annos, quia ad singulas Indulgentias requiritur causa diversa, & hinc Pontifex exigit opus factum



atum ex peculiari intentione lucrandi illam Indulgentiam: ergo etiam talis non liberabit duas animas legendo unicum Sacrum.

4 Confirmatur 2. dō. Ponamus, me accepisse à Pontifice privilegium pro una die non recitandi Breviarium, si recitavero coronam B. Virginis: item me hoc ipsum privilegium aliâ viâ, scilicet per communicationem accepisse: si dicerem unicum Rosarium, non hoc ipso ob duplex hoc privilegium essem exemptus ab onere non recitandi Breviarium duabus diebus: ergo idem dici potest de nostro casu, in quolibet enim casu utraque concessio tendit ad idem, estque tantummodo bis concessum certum aliquid lucrandi impleto quodam opere.

Confirm, 3. tiō. Ponamus, me obligatum ad certam summam, incertis creditoribus restituendam, per diversas concessiones obtinuisse, ut à debito restituendi centum nummos liberer, si semel eleemosynam quatuor nummorum pauperibus dederō: non liberatus ero à debito restituendi ducentorum florenorum, si tantum semel quatuor nummos pauperibus dederō: er-

go hoc ipsum de nostro casu dicendum erit.

Confirm. 4. tō. Ponamus, quòd aliquis ex voto se obligaverit ad jejunandum certo die; & quòd postmodum in illum ipsum diem incidat jejunium ab Ecclesia præceptum satisfaciet talis unicō jejuniō, licet tituli obligantes sint diversi: quia tendunt ad diem: ergo etiam si tituli sint diversi in nostro casu, quia tamen ad idem tendunt, non dabitur privilegium ad liberandam utramque animam.

Confirm. 5. tō. Privilegium lucrandi animam è purgatorio per Sacrificium in quocunque Altari à tali Sacerdote lectum videtur esse mera extensio privilegii affixi per se certo, ac determinato Altari ideo v. g. Sacerdotibus Societatis nostræ concessa, quia ob varias missiones stabiliter in eodem loco permanere iisdem concessum non est: ergo non potest aliquis in tali Altari privilegiato duas animas lucrari. Probatum conseq. à pari: ponamus casum, quo Pontifex concesserit Jubilæum visitantibus certæ urbis Ecclesias, quia autem hic ipse singulariter est affectus

Y y y 2

certo



certo Principi, dat huic facultatem lucrandi Jubilæum, licet visitaverit nullam Ecclesiam: quod si hic Princeps dein ex innata devotione Ecclesias præscriptas visitaverit, non lucrabitur duplicem Indulgentiam: ergo idem de nostro casu dicendum.

6 Quod ipsum etiam in causis politicis observatur: si enim Princeps aliquis statutum hoc fecerit, ut quilibet subditorum exhibitio talero Disseldorpii expuncturus sit debitum centum talerorum; peculiariter autem Sempronio ob singularem affectum promiserit, se eidem tot centenorum florenorum debitum remissurum esse, quot taleros etiam in loco, quocunque alio, quam Disseldorpiensi persolverit, nemo diceret, Sempronio totidem ducentos florenos remissum iri, quot florenos Disseldorpii persolverit, quia eidem promissa fuerat remissio centenorum florenorum, si etiam alibi, quam Disseldorpii persolverit aliquem florenum, & præterea cuicunque subdito hæc ipsa promissio facta est, si Disseldorpii illorum aliquis florenum exhibuerit.

7 Oppones his pro ult. assertione allatis rationibus: in quolibet Sacrificio datur triplex fructus satisfactorius, primo scilicet generalis, qui obvenit toti Ecclesie: 2. dō. Particularis, qui obvenit Sacerdoti sacrificanti, & tertius quidam medius: qui applicatur illi, cui Sacerdos Missam applicat: ergo poterit hunc tertii generis fructum per modum suffragii applicare uni animæ, alteri autem fructum sibi specialiter correspondentem, & hoc modo liberare duas animas. Resp. neg. conseq. sicut enim Sacerdos valorem sibi specialiter correspondentem non potest applicare alicui tradenti elemosynam, & hac via pro eadem Missa duplex accipere stipendium, ita nec eundem applicare potest animæ defuncti, prout valor generalis toti Ecclesie obveniens non potest illi applicari.

8 Oppones 2. dō. Sacrificium Missæ est infiniti valoris: ergo sufficiens ad redimendas plures animas. Resp. dist. Est infiniti valoris in actu primo conc. in actu secundo nego. Quod portio correspondens illis, pro quibus offertur Sacrificium non infiniti-



7  
finiti valoris existat, communis non tantum Rudium, sed etiam Doctorum, & propterea non tantum in quadam imperitia fundatus sensus fidelium comprobatur, qui pro se suisque Sacri-

ficia procurant cum ea obligatione offerri, ut illis solis applicentur: prohibitum etiam est Sacerdotibus duplicatum stipendium pro eadem Missa recipere.



## Casus XLIX.

### *De operibus Indulgentiarum in statu gratiae peragendis.*

8  
**S**ulpitius, ut Indulgentias Menstruas lucretur, ante prandium Confessionem, & sacram Communionem debitorum modo peragit: preces autem praescriptas ad tempus pomeridianum differt: antequam autem illas persolveret, in mortale incidit, nec contritione, nec Confessione deletum: dubitat igitur, utrum lucratus fuerit Indulgentias.

Quaeritur: Utrum ultimum opus ad lucrandas Indulgentias pro anima defuncti debeat in statu gratiae fieri?

### Synopsis,

1. Discrimen inter Indulgentias pro vivis, & pro defunctis exponitur.
2. Juxta aliquos defunctis conceduntur Indulgentiae, quod pro illis aequale pretium Pontifex persolvat.
3. Verosimilius tamen dicitur, Pontificem immediate Indulgentiam vivis concedere.
4. In hac tamen sententia non potest dari ratio, ob quam opus primum eliciendum requiratur.
5. Item plurimae Indulgentiae sunt solis defunctis concessae.
6. Non potest explicari, quomodo prius viventi applicentur.

Y y y 3

7. Juxta